Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1999
Quelle:
Copyright:

de Romanor. Hung. ac Bohe. &c. Rege Ferdinando Epiſtolam. Anno a nato Ihesu ſaluatore noſtro. M. D. XXXVIII. *Pſalmo XXVI. Mentita eſt iniquitas ſibi.* Certe; quo enim animo tuliſſet Rex haec a domeſtico ſuo *Fabro* ſcribi, ſi reipſa Epiſtolam ſibi imputatam exaraſſet? Aliud Exemplar jam *Vol.* I. P. 2. retuli. *Vol.* demum IX. comprehendit 1) Excerpta e *Mart. Lutbero in Pſalmos* XX. priores. 2) Alia e diverſis ejus Scriptis, quae diligenter evolvit *Faber*, ut ſemper debuiſſent facere Polemici, neque tantummodo citare citata, congeſta annis 1520. et 21. Inter haec etiam enotatus *Joh. Huſs de Vnitate Eccleſiæ* et quidem e typis, ut in calce dicitur, *Anni* MDXX. 3) *Raitung des Biſchoffs zu Trieſt vff den anſpruch des Biſtumb Wien*, id eſt Series Transactionum inter *Petrum Bonomum* Ep. *Tergeſtinum*, et *Fabrum* noſtrum *Viennenſem*. Adminiſtraverat poſt *Georgii de Slatkonia* mortem Vir ille doctus et negotiis aulicis inſuetus ſimul *Viennenſem* Epiſcopatum inter annum 1522. et 23. dum *Johannes de Revellis* Praeſul renuntiaretur, cui a. 1530. demortuo *Faber* ſuffectus eſt. Mutuae tum inter *Fabrum* et *Bonomum* partim aeris, partim ſupellectilis praetenſiones ortae, quarum varii hic Syllabi a Judicibus firmati, et Sententia ab Arbitris *Leonh. ab Harrach*, *Sigism. ab Herberſtein*, *Feliciano a Pettſchach* et *Marco Beck de Leopoldsdorf Neoſtadii* jam a. 1523. lata habentur, quibus quaedam *Bonomi* ad *Fabrum* Reſponſa, et tandem *Summarium pecuniarum debitarum vtrique parti Juxta receſſum Dominorum Commiſſariorum* accedunt. 4) Series Syngrapharum *Fabri*, quibus fidem facit accepti a *Camera Aulica* Salarii, titulo praevio: *Regiſtratur der Hofbeſoldung. Anno* 1538.

Jacet praeterea in hoc Codice Ternio, qui ita orditur: *Exteriorem Hominem libro ſuperiori R. P. ſatis ſuperque deſcripſimus ſecundum animi noſtri propoſitum. Nunc id aggrediemur quod in pollicitis fuerat. Nam de Interiore loquimur eo ordine, quo ab initio cepimus; a Capite enim cum exteriora narrauimus nobis fuit initium, et cum de interioribus raciocinabimur, ab iis quæ in capite ſunt, ſumemus exordium.* Id quod ſic: *Calua continet cerebrum, quod in tres partes diſtinguitur* &c. Exit Ternio in *Tonſillis*, his verbis: *Tonſillas enim ueteres dixerunt dolatos palos in acumine et cuſpide* —. Itaque non niſi tertiam Libri partem habes. At cujus Scriptoris opus? *Galeoti Martii Narnienſis* eruditi hominis ex egregia illa cohorte *Mathiae Corvini* Reg. *Hung.* qui illud *Libris II. Johanni* Archiep. *Strigon.* cujus, uti et Regis, ne ſui quidem oblitus laudes celebrat, inſcripſit. Inde illud R. P. in principio. Addo, quod eas *Fabricius* et *Manſius* ignorarent, primas ejus Editiones: unam, quam principem habeo, *ſ. l.* et *a.* f. alteram *Mediolanenſ.* 1490. f. Tertia *ibid.* 1499. mihi ſuſpecta eſt. De Scriptore varia in *Xyſti Schie-*